DE GRAVIDITATE
IN SUBSTANTIA UTERI
ADIECTA CASUS HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
DIE XXIV. MENS. NOV. A. MDCCCLIX.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET

AUG. HENR. GUERNER. TIEMANN
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
ED. CUNOW, DR. MED. PRACT.
REINH. ZUEHLKE, MED. ET CHIR. DR.

HALIS SAXONUM
TYPIS SCHMIDTIANIS.

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

MEDICO PRACTICO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO OFFERT

AUCTOR.

Quum ovulum gravidatum non ut secundum naturae leges est, in utero ipso sed contra consuetum illius ordinem extra eum cum organis maternis, ut excolatur, se coniungit, hic mulieris status nomine, ut mihi quidem videtur, minus apto graviditas extrauterina appellatus est. Nam, qui est summus graviditatis finis, ut proles matura omnibusque quae ad vivendum opus sunt, organis instructa excolatur, conservetur, in lucem edatur, hoc ibi perraro efficitur ita ut hic status potius morbus quidam nominandus sit, quum graviditas per se nullo modo morbi nomine appellari possit, neque morbum eam habere omnino liceat. Hac enim fit, ut omnes gravidae vires intendantur et natura id potissimum agit ut mater atque fructus conserventur.

Ut vero est locus, in quo ovulum extra uterum inhaerens usque ad certum culturae gradum crescit, ita tria graviditatis extrauterinae genera principalia distingui possunt, quamquam modo duo ut a *Geoffroy* et *Hillaire* modo plura, etiam decem ut a *Dezeimeris* et *Cazeaux* enumerantur genera inter se differentia. Si vero ita divisionem faci-

mus ut ex loco illo oriamur, ubi primo ovulum cum organis maternis coniungitur et ubi vasa umbilicalia cum chorio coeuntia cum vasis maternis ad placentam fingendam se coniungunt, haec tria graviditatis extrauterinae genera discernenda sunt: 1) graviditas ovaria, 2) graviditas abdominalis, 3) graviditas tubaria.

Graviditatem quidem ovariam, quae tum adest, quum ovulum in substantia ovarii permanens crescere pergit, omnino existere nonnulli negaverunt ut *Velpeau*, *Thomson*, *M. Mayer*; tamen exempla non deficiunt, quibus quum a medicis et integra fide et magna doctrina insignibus (ut sunt *Meckel* et *Campbell*) probata sunt, illam existere perspicue demonstratur. Graviditatem autem ovariam externam in superficie, involucro peritonaeali ovarii, quam nonnulli speciem quandam illius significaverunt, est re vera graviditas abdominalis, quoniam ovulum ovario relicto tantum involucro eius ut aliis cavi abdominis locis adhaereat.

Graviditatis vero abdominalis duo plerumque discernuntur genera, primaria et secundaria, qua eo cognoscitur, quod ovulum sacco, quo continetur, rupto in cavum abdominis pervenit. Quum autem hac ruptione fere semper matri mors afferatur neque ovulum denuo cavo abdominis accrescere et exvoli possit profecto tum ita graviditas finita est ut ovulum non nisi corpus alienum haberi possit. Etiam graviditatem abdominalem primariam ubi ovulum tuba non receptum protinus alicui cavi abdominis parti se adiungit unquam inveniri nonnulli ut *Campbell* negant, quum propter intestinorum motum, ut ovum se adiungat, fieri non possit, quae est sententia medicorum *Merriman* et *Clarke*. Sed a permultis observata et descripta est, neque rarissima

est earum graviditatum, quae nominantur extrauterinae, hic placenta intestinis, coeco et mesenterio, vertebrarum columnae, renibus, stomacho ipsi colo alligata fuit.

Iam venimus ad graviditatem tubariam, quam *Campbell* omnium graviditatum extrauterinarum creberrimam esse contendit. Duae eius species disiungendae sunt, quarum una recentiori demum tempore saepius observata subtiliusque descripta est.

Haec, quae crebrior est, species etiam graviditas tubaria simplex nominata est. Ovulum hic in libero tubae canali propius ad ostium abdominale aut uterinum accessit, et ad certum vigoris gradum adolevit. Altera autem graviditatis tubariae species eo cognoscitur, quod ovulum in ea tubae parte crescit, quae in substantia uteri sita est et postquam crescendo auctum uteri substantiam distendit in ea considit, quam ob rem *Caro* auctore ea graviditas tubo-uterina nominatur, nihilo tamen minus ovulum ab initio semper tubae se affixit. Discernitur tum etiam species graviditatis interstitialis seu in substantia uteri propterea ita nominata, quod hic ovulum tuba praetermissa in sola uteri substantia consedit, quamquam graviditas tubo-uterina his quoque cognominibus appellatur. Primam huius generis graviditatem, quae est in substantia uteri iam *François Mauriceau* non solum observavit sed etiam in libello suo, qui est inscriptus: Traité des maladies des femmes grosses et des celles, qui sont accouchées 1681. (6. Aufl. Paris 1723) primus descripsit et delineavit. Is quodam libelli loco dicit appendicem quandam a tuba separatam in substantia uteri herniae similem inventam esse, in qua saccus foetum continens infuerit. Hunc autem saccum spatio trium men-

sium exacto ruptum esse, ut mater multis cum convulsionibus magnisque doloribus animam efflaret. Saeculum vero quum praeterlapsum esset, priusquam *W. F. Schmidt* (1801) libro suo, qui est de observationibus Viennae in regia imperiali Iosephi academia institutis, graviditatem eius generis promulgaret, factum est, ut ille per longum tempus primus eius graviditatis observator haberetur. Quibus duabus graviditatibus medici quum animum advertissent saepiusque deinde dissecarent cadavera iam plures de ea re institutae sunt observationes.

Proximum deinde huius graviditatis descriptionem fecit *Hederich* in *Horis* (Archiv. 1817), quam *Carus* in libro de graviditate atque partu accuratius delineavit. Aliae huius generis graviditates a medicis *Mayer*[1]), *Breschet*[2]), *Cliet*, *Rosshirt*[3]), *Pfaff*[4]) (qui omnino octo in substantia uteri graviditates collegit) *Minère*[5]), *Carus*[6]), *Payan*[7]), *Walson*[8]), *Lugo*[9]), *Schwabe*[10]), *Stedmann*[11]), *Rokitansky*[12]), *Mon-*

---

1) *Siebold's* Journal 7. Bd. 1. St. p. 245.

2) Ebend. 6. Bd. 2. St. p. 340. (observationes de graviditate a *Bellanin*, *Sartez* et *Dance* promulgat.

3) Neue Zeitschrift für Geb. 9. Bd. 2. Heft. p. 400.

4) Dissert. Lipsiae 1826.

5) *Hecker's* Journ. d. ges. Heilkunde. 3. Jahrg. 1827.

6) *Hohenbaum's* Fall. - Medec. Conversationsblatt 1832.

7) Bulletin de l'académie royale d. Med. 1843.

8) Edinb. med. and surg. Jour.

9) Heidelberg. Med. Annal. Bd. 7. Heft 3.

10) Monatschrift f. Geb. 3. Bd. S. 1. 1854.

11) Boston. med. a. surg. Journ. Jan.

12) *Rohatzsch*, Allgem. Zeitg. f. Chir. u. Heilkunde. 1841.

dini[13]), *Dubois* et *Pinel-Grandchamp*[14]) etc. descriptae sunt. Quarum observationum numerus proximo tempore haud dubie aliquantum augebitur, ut magnam harum graviditatum copiam ante neglectam esse verisimile est.

In variis autem graviditatis extrauterinae generibus enumerandis ne quid praetermittam etiam graviditatis tubo-ovariae mentionem facere simulque docere debeo eam aut graviditatem ovariam aut graviditatem abdominalem primariam esse. Neque graviditas utero-tubo-abdominalis omitti potest, ubi placenta in uteri cavo, foetus in abdominis cavo iacebat et ad eam funiculus umbilicaris per tubam porrectus erat. Sed ut plura de ea graviditate hic dicam, tempus non permittit. Graviditates vero vesicales atque vaginales, ut nominantur nil nisi graviditatis extrauterinae species propter exitum singulares haberi possunt.

Iam de causis graviditatis extrauterinae nobis disserendum est, quae tam obscurae sunt ut tantum de iis coniicere neque ullo modo enucleate eas explicare possimus. Quum ex infirma eius organi, quo ovum retinetur valetudine tum fortasse ex morbido quodam ovi ipsius statu mali illius causa duci potest, quam vis eam hinc ducendam esse nonnisi summa cum difficultate demonstrari possit, quum utrum ovi vitia sectione patefacta hoc, qui contra naturae leges est, statu effecta sint an ipsa statum illum effecerant, maximopere sit dubitandum et qualiacunque sunt organa conceptionis extrauterinae causa a rebus inde ortis diligenter separanda est.

Ita, ut exemplo utar, tam graviditas tubaria aut tubo-

---

13) u. 14) *Schmidt's* Jahrb. Bd. 46. p. 47.

uterina ante ovi annexionem praeclusione ostii uterini tubae orta esse potest, quorum accidere potuit, ut inflammatione quadam ovuli affexione orta praeclusio illa efficeretur.

Praecipue animi perturbationibus quibus mulier, dum concubitu semen excipiebat aut paullo post agitata erat, ut talis oreretur graviditas, factum esse dicunt, id quod, quum nullo modo demonstrari non possit, pro certo non habendum est.

Dubium non est, quin ovulum, quominus per tubam in uterum perferatur, in ea tubae parte impediatur, ubi haec uteri substantiam pervadit, id, quod hoc loco, ubi canalis angustiae sunt, facillime fieri potest. Ita rem se habere iam *Peter Dionis* [1]) clarissimus ille Parisiorum chirurgus libello confirmavit, quo graviditatem quandam a medico aequali, cuius nomen *Mauriçeau* erat, observatam subtilius explicat. Sed qua re ovulum in via detineatur, medici dissentiunt, praesertim, quum complures impedimenti causae existere possint. *A. G. Carus* [2]) censuit motum peristalticum tubae prohibitum impedimento esse aut in tuba uteri morbis (catarrho, fluore albo) affectu diverticulum fictum esse in quo ovulum ingressum ita ut promoveri non possit, detineatur. *Carus* autem natu maior in postremam tubae canalis partem cellulas venosas ut eae secundum regulam in utero sunt, effluere iisque ovulum, ut excolatur, exceptum esse contendit.

Tum *Carus* natu minor diverticulum in ea tubae

---

1) Von der Erzeug. u. Geburt d. Menschen. Aus d. Franz. Frankf. u. Leipzig 1723. I. Bd. Cap. XI.

2) De graviditate tubo-uterina. Lipsiae 1841.

parte, quae uteri substantiam pervasit post fundum uteri existere, itaque quomodo cysta in fundum supra tubae insertionis locum pervenerit, intelligi dicit, quum haec nunquam in latere inventa sit. Quid quod *Beaudelocque* in muliere, quae nunquam partum ediderat, dissecta canalem invenit, cuius a dextra tuba profecti per uteri substantiam producti in uteri collo finis erat. Nonne etiam hoc, ut ovulum contra consuetum naturae ordinem alicubi affigatur, effici potest.

Tum in tubae et fortasse etiam in ovuli gravidati vigore aucto talis vitiosae coniunctionis causa posita esse et ostium uterinum membrana decidua praeclusum esse potest. Hoc vero constat alio modo, ut tuba praecludatur certe non, antequam sperma transierit, accidere, quum ante transitum mulier omnino gravidari non possit.

Ut in reliquis graviditatis extrauterinae generibus ita etiam in ea graviditate, quae est in substantia uteri, quin etiam in hac multo magis uterus easdem mutationes praebet, quae in graviditate uterina apparent. Uterus enim magis magisque dilatatur, substantia eius multum extenditur fungosa fit atque laxior, superficies interna plerumque tunica decidua vera *Hunteri* tanquam cruenta pseudo-membrana obtecta est. Collum uteri, fere semper pituita rubore vitreo suffusa impletum est; saccus ovulum continens plerumque in sinistra uteri parte invenitur, in dextra enim tam raro ille inventus est, ut *Heyfelder*, qui decem in uteri substantia graviditates observavit tantum tres, ubi in dextra parte saccus positus erat, enumeret, neque cum tuba, cuius ostium uterinum plerumque clausum est, neque cum utero directa via coniunctus est. Saccus fructus semper in

fundo uteri aut supra tubae insertionis locum aut in e ipso iacet eiusque latera, quae variam habent crassitudines in externa parte aut extenuata uteri substantia eiusque peritonaeo aut hoc solo efficiuntur, id quod *Rosshirt* in libello qui „Neue Zeitschrift für Geburtskunde" inscriptus est exemplo quodam allato, exposuit.

Ceterum exempla graviditatis in substantia uteri minima sunt, quum omnino circiter viginti tales graviditates observatae sunt. Una excepta omnes in muliebribus, quae iam partum ediderant, inventa sunt.

Graviditas in substantia uteri plerumque non multum temporis durat, quum iam duobus vel tribus mensibus postquam semen exceptum est, externum mirabilis illius cavi latus perrumpatur. Tantum graviditas a *Cliet* descripta triginta duas hebdomades duravit et viginti hebdomades ea, quam *Hohnbaum* promulgavit. (Medec. Conversationsblatt ed. *Hohnbaum* et *Jahn* 1852).

Mirum autem videtur, quod *Rosshirt* narrat, graviditatem in substantia uteri se observasse, cuius eventus felicissimus fuerit. Descripsit eam in libello, cuius titulus est Neue Zeitschrift für Geburtskunde Bd. IX. 2. Stück p. 400 Quid vero, quod *Rokitansky* graviditatem interstitialem affert, ubi foetus diutius, quam consuetus est graviditatis tempus a matre portatus et per sectionem caesaream, qua mater periit, in lucem prolatus est. (*Rohatzsch*, Allgem. Zeitg. für Chirurg. 1841. Nr. 9.)

Hac sacci, qui ovulum continet ruptione fit, ut aut ingenti sanguinis amissione mater interficiatur, id quod plerumque accidit, aut tantae miseriae vi mulieris nervi ita irritentur atque debilitentur, ut item ea animam effundat.

Ruptio autem tum aut nimia extensione texturae, quae
vulum magis magisque crescens amplectitur aut ut alii
Malin) censent, inflammatione fit, qua texturam molliri et
ropter hoc ipsum frangi necesse est. Gravidae autem ipsae
uptionis occasionem plerumque eo praebent, quod corpus
uum re quadam pulsanda aut comprimenda aut tollenda
ehementer commovent. Non minus tussibus, sternuationi-
us, vomitibus ruptio efficitur. Sed non quaque ruptione
iatris mors efficienda esse videtur. Fortasse etiam accidit,
t ruptionis vulneri cicatrix inducatur ovulumque resorbatur,
uamquam id difficillime demonstrari potest, praesertim quod
eterorum graviditatis extrauterinae generum eventus, ubi
oetus in lithopaediam aut osteopaediam convertitur, in gra-
ditate interstitiali non satis observati sunt.

Prognosis igitur hic magna praebet iniqua et maiora
uidem quam in ceteris graviditatibus extrauterinis quum id,
uod postea demonstrabitur, illae difficillime cognosci neque
itis curari possint, ita ut in iis omnibus, qnae adhuc ob-
ervatae sunt, gravidae mulieri mors afferetur. Is scilicet
licissimus esset eventus, ubi ovulum iam in initio emore-
etur atque absorberetur, nihilo tamen minus tum quoque
agnosis valde dubia est.

Diagnosis vero graviditatis in substantia uteri maximas
raebet difficultates neque unquam antea eam adesse certo dici
otest, quam uteri substantia perrupta vestigia eius apparuerunt,
: quibus haud scio an intelligi possit, quamquam haec
mptomata ab iis, quae tubis perfractis aut sacco, qui in
vario est, perrupto apparent, prorsus distingui non possunt,
aecipue symptomata, quae tubis perfractis observata sunt
his omnino discerni non possunt.

Ut iam graviditas uterina primis, postquam semen exceptum est, mensibus difficillime et saepe omnino non cognosci potest, maiores etiam difficultates graviditas extrauterina praesertim singularis eius species praebet, quum casus, qui cum hac coniuncti sunt aut iis casibus, qui in graviditate uterina apparere solent, aut iis, quos ovariorum et uteri status pathologibi praebent, simillimi sunt.

Mulier autem, quae graviditate extrauterina laborat, eadem symptomata, quae in uterina graviditate obveniunt, praebet sed hic ea maiore vi ac vehementius apparere dicuntur. Sunt autem vomitus, nausea, tristitia, alvus semper astricta, diarrhoea cum tenesmo, dysuria et stranguria, praecipue vero dolores colici certo tempore recurrentes aut perpetuus dolor in quodam ventris loco, quae symptomata omnia etiam alio statu pathologico effici possunt. Menstrua modo iis, quae in graviditate cernuntur, paria sunt, modo ab iis discrepant, mamae edunt lac, saepe autem mox rursus collabuntur ita ut ne haec quidem symptomata diagnosi inserviant, neque magis foetus motus inserviunt, quoniam haec graviditas plerumque per paucos menses et fere nunquam per dimidiam consueti temporis partem perdurat.

Neque sanguinis vel pituitae vel materiarum membranacearum ex utero decessiones diagnosin satis confirmant. Non magis exploratione externa et interna manuali aut auscultatione diagnosis firmari potest, quum graviditas praemature finiatur.

Post ruptionem demum sacci fructus, aut ovarii aut tubae aut uteri, de quo hic agitur, subito in ea parte, in qua ruptio facta est, dolores animadvertuntur aut dolores

usque ad id tempus non vehementes nimiam assequuntur vim ut non iam perferendi sunt.

Gemitum atque eiulatum, quem mulier tum edat, proprium et singularem esse *Heym* contendit; quo citius autem in graviditate quadam hi dolores existant, eo verisimilius est, tubam esse perfractam, quamquam hoc non omittendum est, etiam aliorum organorum ruptione in aliis affectionibus pathologicis eosdem aut similes dolores effici posse. Cum his doloribus, qui tuba perrupta oriuntur, simul haec alia symptomata coniuncta esse solent oris habitus ita commutatur, ut id pallescat, distorqueatur, frigescat, frigidoque sudore cooperiatur, deinde arteriarum pulsus dimminuitur atque acceleratur, tum vomitus, lipothymia existit et post interioris sanguinis profusionis signa aut post totius corporis paralysin mors venit. Sed his omnibus symptomatibus nullo modo tantum graviditas in substantia uteri sed quum graviditas extrauterina, tum graviditas tubaria significatur, a qua illa, quamdiu mater vivit omnino distingui non potest, nam in utraque graviditate graviditatis extrauterinae symptomata mature ac vehementer apparent. Iam tertia graviditatis hebdomate mulier doloribus colicis qui spatio interiecto recurrunt, in intimo pelvi aut latere cruciatur neque illi antiphlogosi et narcoticis adhibitis leniuntur; et mulierem, quae hac ipsa graviditate tubaria laboret singularem illum vagitum, de quo supra diximus, edere *Heym* contedit. Idem dicit hac graviditate extrauterina unam ventris partem latius extendi, ita ut gravida in uno tantum latere cubare possit; quo vero citius dolores existant, quum gravidilatem extrauterinam adesse suspicandum est, eo magis illam graviditatem tubariam esse habendam. *Kilian* autem in regione inguinali

aut exploratione per anum instituta in uno alterove pelvis latere, praecipue autem in sinistro, in quo plerumque graviditas tubaria appareat, gravem et circumscriptum tumorem animadverti posse contendit. Adhuc vero nemini contigit, ut graviditatem in substantia uteri ante ruptionem cognosceret. Itaque quum graviditatem extrauterinam per se ipsam, tum singularia eius genera ante ruptionem, quam plerumque matris mors sequitur, cognoscere semper erit difficillimum et omnino fere nunquam, ut iam muliere viva cognoscatur, fieri poterit. In graviditate extrauterina, quum cognita sit, curanda indicationem causalem hic nullo modo adhiberi posse consentaneum est. Ut tamen calamitates eum morbi exitu oniunctae avertantur, id solum relinqui videtur, ut ovum aut amplius crescere non sinas, aut plane extinguas, quae res profecto ambigua est, quum diagnosis incertissima sit. Quamquam id tenui victu, medicamentis purgatoriis, sanguinis emissionibus etc. effici medici consuerunt tamen et eventus rei incertus et feminae gravidae ea plerumque erit affectio, ut hisce remediis sine periculo uti nequeas. *V. Ritgen* autem in graviditate tubaria abortum per artem efficiendum esse statuit atque nimirum per cataplasmata calida tumori imposita et per natrum sulphuricum et secale cornutum cum extracto aloes aquoso intus sumpta eum se effecisse contedit. (Neue Zeitschrift für Geburtskunde. Tom IX. p. 206.) At num his medicamentis pariter atque uterus etiam tuba ita afficiatur, ut ovum emittat, neque satis exploratum est neque ex morbi signis ab illo enarratis certo colligi potest, graviditatem tum affuisse tubariam. Quae quum ita sint quum plerumque, tum si adest graviditas tubaria vel tubo-uterina licet suspexeris tantum de hoc morbo

nihil relinquitur nisi impetus morbo quam maxime relevare. Quietem igitur quam altissimam mulier gravida agere debet, ne moveatur neve tussibus, vomitibus similibusque concitetur atque turbetur, diligenter cavendum est. Ad dolorem autem levandum sanguinis missionibus, lavationibus, opio uti potest. Quid quod *Heym* tubam, simulatque sine sanguinis profusione per fractam mulier vehementer dolere coepit, substringendam postea etiam amputandam esse censuit. Profecto res propter incertam diagnosin ambigua et periculosa. Sin, quamvis maxima utatur mulier quiete et providentia, tamen aut frangatur tuba aut iam fracta illa sero medicus in consilium adhibeatur id ante omnia ei agendum est, ut sanguìnem supprimat doloremque sublevet. Illud autem efficiet cataplasmatis frigidis alvo impositis et ea corporis parte, quae est affecta, comprimenda. Quod vero aortam abdominalem comprimendam esse *Scanzoni* voluit, et acerbum compressionis dolorem vix a muliere aegrota perferri posse et ancipitem esse eventum existimo, quoniam in breve tantum tempus sanguis eo supprimi potest. Intus sumatur licet tinctura moschi, tinctura valeriana aetherea, tinctura opii crocata etc.

Sin sive fracta cysta, quum mater fractione interfecta non est sive integra inflammationis signa inveniantur, summa cum providentia inflammatio lenienda, purulentatio adiuvanda, ubicunque pus invenitur mulier parturiens ita ponenda est, ut illud effluat. Si fluctuatio aperte apparet, fetus emissio quam maxime adiuvari et si res cogit abscessus cultro amplificari debet, utique ne in alvum pus exitum expediat. Quae qualiacunque sunt, aegrotae mulieris vires ad iuvandae ac fermandae sunt. Laparatomia tamen non nisi tum in-

dicata est, quum quod raro accidit, ad finem graviditas pervenit, fetusque motus sentiuntur quamquam etiam hic de matris fetusque vita servanda, cogitandum est. Itaque laparatomia uti non poteris, nisi et fetum vigere ex cordis motibus coniicere liceat et mater quoad res patiatur, ita valeat ut sine magno periculo haec operatio fieri possit.

Historia morbi.

Iis, quae adhuc innotuerunt graviditatibus extra uterinis hanc equidem a patre meo, qui artem medicam in oppido *Bielefeld* factitat, brevi abhinc tempore observatam addo, quam in libellis eius inveni.

Liceat praemittere quaedam morbi symptomata neque levioris momenti neque parum ad rem spectantia, quae duobus annis ante graviditatem illam, cuius finis in morte fuit in muliere illa, de qua agimus, apparuerunt.

Haec autem fuit temperamenti phlegmatici, firma corporis constitutione, valde obesa, tunc temporis annos triginta sex nata, quinque liberorum mater, quorum natu minimum undecim menses natum brevi tempore ante uberibus abstulerat, necdum iterum menstruare coeperat. Tunc enim die XVII. Maii, quamvis nulla causa nota esset, subito acerbis dextrae regionis hypogastricae torminibus tentata est, quae sensim aucta per intimam pelvim in intestinum rectum porrigebantur. Accuratius enim aegrota locum describere non poterat. Accedebant nausea vomitusque aegre citi, alvi quoque deiectionem non habuerat, vehemens vero alvi eiiciendi desiderium quasi intestinum rectum quamvis per clysterem modo exinanitum faecium esset plenum. Quibuscunque

fruebatur aegrota cibis vel potulentis emovebat illa; arteriarum pulsus, non nisi dum exacerbatur subinde dolor, paullo excitatior erat, portio vaginalis paullo inferior, quum adsolet, et subtumida erat. Qui casus postquam per sex vel septem dies varia quidem vi, omnino tamen non mutati duraverunt, per mediocrem sanguinis missionem, qua nulla omnino aegrotae afferrebatur levatio, quum emulsio seminis papaveris et pulveres aërophori adhibiti essent, quae omnium medicinarum solae non emovebantur, sensim mitigati sunt. Tamen per quattuor decim dies leviores morbi impetus perduraverunt atque dolor quidam et desiderium quoddam alvi exonerandi diu remanserunt neque sacculata quaedam posterioris vaginae partis inflatio unquam decessit, meses autem autumno denique eiusdem anni postquam mulier aegrota in aquis Driburgensibus lavata est, rursus apparuerunt.

Diagnosis tum incerta fuit, nam de moliminibus menstrualibus, quominus cogitaretur, quum id, quod nunquam antea mulier iis affecta fuerat, tum morbi subitus accessus et diuturnitas, neque non universa eius ratio et eventus impedivit, neque magis de inflammatione genuina cogitari potuit, quippe quod non ea erat arteriarum pulsus affectio, quam ex doloris violentia concludere licebat. Non autem id dubium fuit, genitalia et vicina eorum simul inflammatione affecta et per sympathiam stomachi et canalis intestinorum affectionem fuisse coniunctam.

Quae quum ita sint, si comporaveris haecce symptomata cum iis, quae in similibus casibus adesse solent, conceptionem quidem exstitisse haud inepte conieceris, ovum vero aut in tubam omnino non intravisse, in cavum abdominis potius, fortasse inter plicas Douglasi continuo

aberravisse, non tamen amplius ibi crevisse sed resorptum esse, aut iam, quum in ovario esset, crescere coepisse et ex sacco fructus ibi orto mature sine magna sanguinis profusione in cavum abdominis incidisse ibique resorptum esse. Itaque verisimile est, iam tunc graviditatem extrauterinam exstitisse, progressam autem et praematura illa sacci fructus ruptione sic esse finitam, ut matris vita servaretur, id quod in similibus rebus medici statuerunt, quamquam firmis argumentis haec ratio probari nequit, quonium nec ipsum ovum neque ullum eius vestigium inveniri potuit.

Duobus igitur annis post huius, quem modo enarravi, morbi finem firma gaudebat mulier illa valetudine, menses quamquam septem vel octo hebdomades ante postremum apparuerant, ne ipsa quidem gravida esse sibi videbatur; aberant enim, quae cum prioribus eius graviditatibus coniunctae esse solitae erant, valetudinis perturbationes et molestiae, nisi quod in itinere, quum curru veheretur, ad vomitionem adducta erat. Hoc igitur tempore pilam in fovum delapsam repetitura ad humum se demittit non sine labore nimirum quum corpulentia impediretur. Hanc eius, quem enarraturus sum, morbi causam fuisse satis verisimile est, quamquam vehementior dolor proxime inde profectus esse non videtur, nam ne ipsa quidem, quamvis saepissime de morbi sui causa rogata huius casus meminerat. Eorum autem, qui tum aderant nonnulli animadverterant torpentem eam per aliquod tempus stetisse. Una autem vel duobus horis post eum quieta atque laeta in conclavi sederet acerbo se dextrae regionis hypogastricae dolore subito torqueri vociferans queritur atque suspirat gemitque quasi parturiret. Procedit tamen fere triginta passus ut decumberet, apud

sellam autem, in qua interdum considere voluerat, parieti adnisa consistit, ambabus manibus alvum sustinens tanquam quae stans subitis ex partu doloribus corriperetur. Haec enim fere similis esse iis, qui aderant, visa est, desidere autem aut unum passum amplius progredi non dum valuit, In lecto collacata vehementi dolore alvi affecta est, sicuti angore atque nausea. Thea e foliis Matricariae Chamomillae cocta assumpta, quum multi cierentur primum ciborum tum pituitae vomitus, neque ea, quae sperata erat, allevatio efficeretur, medicus (auctoris pater) ad consilium adhibitus mulierem eodem, quo duobus annis ante spasmo tentari edoctus est.

Aegrotam invenit ille immotam et lecto incubantem leniter tantum gementem pallente quidem sed neque collapso neque doloribus distorto ore, neque pallidis labris tranquillo etiam ac vix concitato arteriarum pulsu, itaque profecto haec corporis affectio ei similis erat, quae ante duos annos fuerat. Neque alvus inflatus esse videbatur, modico autem pressu exacerbabatur hebes ille dolor, quo per dextram alvi regionem universam inde a regione inguinali usque ad costas affecta erat, angori potius, quam dolori similis. Aderat simul alvi exonerandi cupido, nam ex viginti quattuor horis nondum exoneraverat ita quidem ut largas sedes levationem allaturas esse putaret.

Gravidam se esse aegrotam credere nolle iam supra memoravi, quin etiam universam suam affectionem ei similem esse dicebat, quae ante duos annos affuerat. Loqui quam minimum volebat, quae vero loquenda erant, ea lenat et leni voce loquebatur. Etiam vesperi eadem mansit affectio, vomitiones aegre citae qualibet efficiebantur medicina, qua-

libet potione, quamobrem aegrota sitim quamvis magnam nullo modo explere volebat; levationem nil nisi seminis papaveris emulsio afferre videbatur, respiratio autem et arteriarum pulsus etiam per insequentes horas vix affecta erant, nisi quod hic paullulum languescere sensim sensimque coeperat. Quum vero ad lucem alvi exonerandi causa aegrotae lecto tolleretur, animus eam reliquit, revertit quidem sed pallor in cerae colorem vertebatur, artus frigescebant arteriarum pulsus continuo languidor fiebat, oculi obscurabantur ita ut sanguinem intus effundi, huius rei causam autem graviditatem extrauterinam esse haud dubie concludi posset. Arteriarum vero pulsus quamquam magis magisque languescebat, mors tamen post diuturnum demum agonem sine spasmo etc. duodeviginti horis post primum doloris impetum, septem horis post deliquium illud animi secuta est.

Sectio

duobus diebus post mortem instituta haec fere ostendit.

Putretudo latius nondum manaverat, nisi quod os inflatum erat. Adipis corio sesquidigitali persecto magna sanguinis copia ex cavo abdominis effluxit, resederunt praeterea in eodem et in pelvi cruoris coagulati quinque fere pondo, intestina autem pallida et vasa exsanguia. Ovario dextro fimbris quoque tum cincto impressum erat cavum quoddam asperum, magnitudine fabae, in quo chirurgus, qui sectioni aderat, ovulum infuisse arbitrabatur. Uterus duplici fere virginis magnitudine erat. Iuxta dextrae tubae insertionem paucis lineis ad superiorem partem porrecta in uteri substantia excavatio fuit. In ruptionis autem loco, qui non elatus in eadem cum uteri superfici erat planitie

cruor coagulatus et ovuli reliquiae in ipso autem cavo membranae reliquiae granulosae crassitudine lineae dimidiatae erant. Ceterae vero ovuli partes sanguini immixtae non nisi summo labore reperiri potuerant. Fissurae magnitudo grossi argentei, labra involuta erant, quae sine dubio ex substantia uteri constabant et cavum illud detexerant. Hoc cavum sex ad octo lineas altum inferius amplificatum erat, latera floccosa et cruore tincta. Cavi fundus ab uteri cavo cuti sex usque ad octo lineas crassa separatus erat. Reliqua uteri substantia pallida, firma atque densa, latera spissata, et membrana decidua *Hunteri* in cavo eius dissoluta. Dextrae tubae ostium uterinum ita erat clausum, ut neque rima ulla nec signum oculo inermi cerni posset. Haec tuba ad finem magis sinuata multoque angustior erat quam sinistra et sex lineas sub uteri peritonaeo progressa est. Specillum tenue ab ostio abdominali, quod apertum erat, inmissum non prorsus in ovuli cavum penetravit, sed eo tantum, ubi tuba uteri substantia ingreditur. Fundo autem mirabilis illius cavi persecto duabus lineis profundius canalis inventus est, qui in utramque partem clausus ad reliquum tubae iter correspondebat ita ut illa et ubi inuteri substantiam intrabat et ubi ex illa exibat, praeclusa, in ipsa substantia aperta esset, quamquam eam cum ovuli cavo coniunctam esse doceri non poterat.

Epicrisis.

Hanc igitur graviditatem interstitialem seu in substantia uteri fuisse sectio clare ostendit, ita quidem ut primis mensibus saccus fructus rumperetur et mater multi sanguinis interiori profusione parenchymatica moreretur confecta.

Causa autem rumpendi in eo posita fuit, quod quum mater ad terram se demitteret, saccus fructus compressus est. Omnino vero haec graviditas morbo illo, quo mulier duobus annis ante laboraverat orta esse videtur; verisimile enim est, tubae canalem tum ita perturbatam esse, ut ovulum quominus in uteri cavum intraret prohiberetur.

Earum, quae adhuc innotuerunt graviditatum in substantia uteri pleraeque ita institutae erant ut sinistra in parte fructus ille saccus contra naturae leges fictus, haereret; haec vero, quam modo descripsimus graviditas eo differebat, quod saccus in dextra iuxta locum, in quo dextra tuba inserta est, paulloque superius inhaesit, quum crassitudo conversionum sacci fructus, magnitudo, aetas fetus, uterique commutationes omnino non aut non multum ab iis differrent, quae antea in similibus graviditatibus observatae sunt.

Etiam haec mulier usque ad id temporis, quo saccus fructus ruptus est, bona omnino valedudine usa est tantumque abfuit, ut graviditatem interstitialem adesse suspicarentur, ut ne extrauterinam quidem adesse putarent, praesertim, quum ne ipsa quidem mulier se gravidam esse crederet. Probatum igitur hac quoque graviditate difficillimam in hac re diagnosin, infaustam prognosin esse neque rupto sacco fructus morbum sanari posse, quippe quum vehementi sanguinis effusione mulier aegrota celerrime ita ut mortem non iam liceat avertere, conficiatur.

Vita.

Natus sum *Augustus Henricus Guernerus Tiemann*, fidei evangelicae addictus, Bielefeldae, Guestphaliae oppido, patre *Augusto* medico practico, quem adhuc superstitem esse quam maxime gaudeo, matre *Henriette* e gente *de Laer* cuius dira morte iam diu mihi ereptae memoriam semper in animo habebo. In gymnasio Bielefelense testimonium maturitatis adeptus Bonnae anno 1852 die XXVI. m. April a t. t. rectore Magnifico Ill. *Bauerband* in numerum civium academicorum receptus quinque per semestria praeceptoribus his viris illustrissimis usus sum: *Treviranus*, *Troschel*, *Noeggerath*, *Bischoff*, *Mayer*, *Weber*, *Pluecker*, *von Calker*, *Budge*, *Naumann*, *Wutzer*, *Kilian*, *Albers*.

Inde Berolinum profectus has scholas frequentavi:, *von Baerensprung*, *Schoenlein*, *Langenbeck*, *Busch*, *Traube* *Müller*, *Ebert*, *Casper*.

Postea unum per semestre domi versatus autumno anni milesimi octingentesimi quinquagesimi septimi Halas petii, ubi ab Ill. *Moll* t. t. Rectore magnifico in civium academicorum numerum, ab Ill. *Hohl* t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano inter medicinae studiosos receptus sum.

Scholis interfui et theoreticis et clinicis apud

Ill. *Blasius*, Ill. *Hohl*, Ill. *Vogel*, Ill. *Volkmann*, Exp. *Mann.* Quibus omnibus viris optime de me meritis summas ago semperque habebo gratias.

Iam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione, thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Diagnosis graviditatis extrauterinae maximas praebet difficultates.

II.

Signa physicalia sola rarissime ad diagnosin satis valent.

III.

Incarceratio herniae spasmodica non existit.

IV.

In solvenda placenta methodus activa exspectativae est praeferenda.

V.

Absurdum est, venae sectionem in quavis pneumonia reiicere.

VI.

Labii leporini operatio paucis post partum horis instituenda est.